



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

23. Decembris. Omnem ordinem, & eligendi formam Spiritus Sanctus, qui ad electionem movet, facile supplet. S. Ignat. p. 8. c. 6. n. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



pœnitentia ; quia totus eum offendit in culpa.

De scelere commisso certus es , de congruè acta pœnitentia certus esse non potes ; ideo nunquam cessandum est à pœnitentia ; dolor non nisi vitâ terminetur.

Quid tardas converti ad Dominum ? itane volupe tibi est mancipatus diaboli ? si veniæ spe, scelera sceleribus multiplicas, cave, ne priusquam eò venias, naufragium subeas. Pœnitentia, quæ ab infirmo fit, infirma est.

### 23. Decembris.

*Omniem ordinem, & eligendi formam Spiritus Sanctus, qui ad electionem movet, facile supplet. S. Ignat. p. 8. c. 6. n. 5.*

**M**irus artifex est Spiritus Sanctus, nec regulis se alligari, nec exemplis finit; operatur ubi, & prout vult. Quod ventis, hoc etiam divino Flamini proprium est, quòd unde veniat, aut quò vadat, ignoremus.

Felix ! qui ab eo regi se finit. Examine Spiritus, an à Deo sint. Non omnia, quæ  
sane



sancta videntur, talia sunt; sub pietatis larva sæpe abscondi improbitas potest; quis discernet ?

Ingenii nostri acumen longè magis imbecillum est, quàm ut in rebus Deum, animam, æternitatem concernentibus tuto eligere quid possit: accersendum è cœlo lumen, cor Spiritui Sancto præparandum.

Ut non veniunt, nisi ad candida recta, columbæ, ita nitor animæ optima est ad Divini Flaminis lumen accipiendum præparatio; sinè quo caligat omnis humana sapientia, ingenium omne cæcutit.

## 24. Decembris.

*Innocentiã vitã, ac sanctimoniam, multum quidem per se valet, & cæteris rebus omnibus longè præcellit, sed nisi cum prudentia, agendique cum hominibus modo sit conjuncta, manca erit, atque infirma.*  
S. Ignat. vitæ l. 5. c. 10.

**S**uum auro, etiam intra montium viscera condito, inest pretium: ast eo longè minùs, dum usus humanos subit: sic est sua sanctitati domestica utilitas, publi-